

8
5
DE IUDICIIS ET MO-
RIBVS CORRIGENDIS.

A D

STEPHANVM
REGEM POLONIÆ, MA-
GNVM DVCEM LITHVVA-
NIAE &c. PRINCIPEM MA-
GNANIMVM.

Parænesis.



POS NANI AE. A. D.
MDLXXVIII. ✓



EXVII
275
W.2647
WN.16
Am.906

SERENISSIMO
ET SEPTENTRIONIS PO-
TENTISSIMO PRINCIPRI, DO-
MINO STEPHANO, DEI GRATIA
REGI POLONORVM, MAGNO DVCI
LITHVANORVM, RVSSORVM, PRVS-
SORVM, MASOVIORVM, LIVONVM,
PRINCIPI TRANSYLVA-
NIAE &c. DOMINO SVO
CLEMENTISSIMO.

S. D.

REX A NOBIS ELECTVS
es, imò verò perturbatissimo rerū
statu, labenti Reipub, diuina prouis-
tentia datus. Cuius quidē vis & po-
tentia in te eligendo, Sole illustrior,
cōparuit, dum post varia suffragia, dissidentes aniz-
mos, in te solum populi oculos mentesq̄ converte-
rit: factumq̄ est, vt tanquam post horribilem dissē-
sionum tempestatem, quæ Rempub. euersura vide-
batur, repente gratissimus tranquillitatis Sol affulse-
rit. Quod autem inter tot celeberrimos Principes,
Senatus, & Equestris ordo, te tantoperē sententij
suis expetiverit, & nullis deinceps persuasionibus
ac promissis, nullisq̄ minis se se a te auelli passus sit.

A ij Nulla

Nulla certe alia gratior, quæcūq; magis animos irri-
pelleret, causa efficacior fuit, nisi de tua excellenti
& heroica virtute apud omnes, qui tuas partes sūt
sequuti, eximia concepta opinio. Huic autem exi-
stimationi cōceptæ, Rex noster præstatiſſimè Deo
auxiliante & gubernante consilia tua, vt satisfacias
te in primis operam daturum, confidimus, vt me-
ritò gloriari de te possimus, nos Regē habere do-
mi moderatissimum Principem, foris autem vigi-
lantem, & fortē bellatorem. Id autem vt fiat nō:
nulla corrigenda domi constitnendaq; tibi erunt,
quæ emendatione in Repub. Iudiciorū, morumq;
egent. Suscepisti enim in hoc Septentrione Regnū
amplissimum, in quo nos diuturna pace, & luxu
aliunde intecto, vitijsq; inde securis nonnihil à ve-
terum laude defleximus. Te autem pro exemplari
habentes, Iusticiæ moderationis, pudoris continē-
tiæ, sobrietatis, vitiæ quæ passim irrepserunt, pros-
fligatum iri speramus. Est enim verissimum quod
dicitur: Regis ad exemplū totus componitur orbis:
Et qualis est Princeps tales plerunq; populi mores
existere. Iusticia autē præcipuum est Reip, funa-
damentū, sine qua neq; Regna diu stare, neq; coe-
tus hominum in vnum corpus coalescere possunt,
sicut Regum sapientissimus ait: Iusticia stabilitur
Thronus Regius. Huius autem officium est suum
cuiq; tribuere, & quod quisq; iuste obtinet, idē eti-
am quiete

am quiete possideat & arbitrio suo vtatur, idq; ex
præscripto legum, tuente iura, facultatesq; omniū
summo in primis Magistratu. Sed hæc ipsa iusticia
multis modis sæpè oppugnatur, præcipue autē leo-
nina vi & vulpina arte, dū videlicet tenuiores a po-
tentioribus opprimuntur, vel frequentibus iniurijs
vexati, ex agris in oppida ad artes mechanicas vel
mercaturam exercendam compelluntur. Alij autē
id quod iure sit, iuste sese agere iactantes, sit nōnūq;
vt homines simplices patronis, & forte etiam sum-
ptibus destitutos, captata causa & occasione, litibus
forensibus exagitent & exhaustant, forte nonnūq;
etiam patrimonij proprijs exuant. Et quemadmo-
dum Poëta ait: Sic reus ille fere est de quo victoria
lucro esse potest. Ita non raro fieri vt illi rei pronū-
cientur, qui fundos suos quorūdam potentiuū agris
vicinos habent. Est & illud quale sit considerandū
quod quendam ex purpuratorum numero dicente
audiuimus: Nullius scilicet ius & priuilegium tam
esse firmum, quod à se infringi, Nullius possessionē
tam esse certam, de qua possessorem Iuridicis arti-
bus deturbare non possit. Vocem bono viro indis-
gnam, Senatore autem indignissimam, inde apparēt
Iurisscientiam cum callida loquacitate coniunctam
præsertim si huic accedat potentia, quæ non iudicij
diuini metu, neq; amore æquitatis in officio conti-
netur, pestem esse iusticiæ. Neq; tales Iurispruden-

A ij tes, sed

tes, sed profligatæ fidei & conscientiæ rabulae dicē
di sunt, in quos summum iudicium Regium meritō
animaduertere, quosq; Senatu ac iudicij mouere,
& tanquam pestes ejcere debet. Hic Patroni quo,
q; recensentur, non solum illi quidem, qui in parti-
cularibus seu generalibus terrestribus protinciarū,
vel Castrensis iudicij assistentes, sed etiam illi, qui
in Repub. officia & dignitates obtinentes, in sum-
mo Senatu & iudicio Regali, sententijs suis ferēdis
nonnulli sāpē iniustissimas causas defendūt & pro-
mouent, neq; se suo officio rectè perfunctos arbit-
rantur, si non suis clientibus consanguineis, ami-
cis, & alijs quibus obstricti quoquo modo tenētur,
cum summa alterius partis iniuria patrocinentur.
Hi partim fatore, partim re quapiam alia sublati,
omnem iudiciorum aequitatem sāpē euertunt, vi-
amq; petulantiae ad quiduis audendum patefaciunt.
Nullaq; lex est tam sancte atq; accurrate scripta, quā
ipſi varie interpretando, & varie detorquendo non
labefactent, inde similes causæ & actiones dissimili-
bus sāpe iudiciorum decretis, decisæ sunt, cū sum-
ma infamia iudicij & Reipub. nostræ. Hæ autem
iusticiæ labes imperante Sigismundo summæ man-
fuetudinis Rege, in primis creuere, cuius facilitate
nonnulli ad suam ipsorum libidinem stabiliendam
sunt abusi, vt quod ipſis liberet, idem etiam sibi li-
cere existimarent. Quapropter non esse mirū atro-
cia sceler

cia scelera s^apē cōmissa esse, perpetratas cædes, st^aras
pratas per vim honestas virgines, bona hæredita^r
ria legittimis possessoribus violenter adempta, cūm
improbissimus quisq^z sceleris sui patronos in aula
Regia largitione, seu quotis modo alio, sese para-
turum consideret. Ob idq^z factum est, vt raræ eis
modi enormes querelæ, quæ criminales in iure vo-
cantur ad tribunal Regium deuolutæ sint, cūm ho-
mines iniuria affecti hoc Iudiciorum statu de defen-
sione, & de iusticia consequenda desperantes, par-
timq^z magnitudine expensarum, & longa expecta-
tione vltimæ sententiae absterriti per arbitros cum
aduersarijs suis, cum summa s^ape iniuria & indig-
nitate transigunt. Quid ego nefanda peritria cō-
memorē: quid falsa testimonia, merasq^z in Iudicijs
calumnias impunè s^ape produci & proponi, cūm
aliqui malam causam, summeq^z iniustam habentes,
vel alienas eiusdem generis tuentes, istis adminicu-
lis vtantur necesse est: Has pestes Iusticiæ & corru-
ptelas de Senatu tuo ac Iudicijs, deq^z Repub. tibi
diuinitus commissa Rex magnanime, exemplo Da-
vidis summi Regis & Prophetæ, eo modo quem
tibi Psalmo 101. & 15. præscriptum reliquit, profi-
gabis, Nec desunt aliorum exempla summorum
Regum & Principum. Laudatur Imperator Ferdin-
andus, qui ob falsum testimonium virum quen-
dam post decennium demum re cognita, capitali

Suppicio

supplicio affici iussit. Et apud Romanos falsi testimo-
niū crīmīnē cōnicti, de saxo Tarpeio præcipitabātur.
Viget & illius Locrensiū Duciā præclara memo-
ria, qui cūm inter optimas & saluberrimas à se san-
citas leges, hanc quoq; tulisset, vt adulteri oculo-
rum priuatione punirentur, forteq; filius suus in
eandem pœnam incurrisset; supplicante populo,
vntū oculum sibi, alterum item filio erui iussit, tā-
ta fuit legum reuerentia. O virum magnum di-
gnumq;, qui in nostra Republica natus fuisset,
minus quærelarum esset optimæ partis populi,
quales si multos in Senatu & Iudicijs haberemus,
immobilibus fundamentis Respub. nostra staret.

De Cancellaria item Scribiscq; Curiæ Regiæ,
multæ passim quærimoniæ sparguntur, multa istic
causis parum rite cognitis, rebusq; inexpensis per-
peram, multaq; cupidè fieri, homines tenues diffi-
culter, & non sine graui rerum & temporis iactu-
ra absolui, Iusticiæ exequutionem in re manifesta
sæpè differri, reos causa inuenta, cum partis alteri-
us iniuria liberos pronunciarī: Diplomata eodem
argumento sibi inuicem contraria, & quod capitale
esse debuit legibus sæpè repugnantibus, dari, Digni-
tates, Officia, Præfecturas, Nonnunq; fauore & lar-
gitionibus obtineri. Quodsi virtus tantum specta-
retur, & qui essent de Repub. bene meriti, honoris
bus afficerentur, multa inde commoda redundarēt,

sed cu m

sed cum contra s̄apē fiat, non mirum est optimum
Reipub. statum in deteriore subinde mutari, mul-
taq; committi, quæ partim iusticiam tollunt partim-
q; dignitatem Regni offendunt & deformant. Te
autem Rex dignissime in omnes partes Reipub. ita
inspecturum confidimus, yt nihil iniuste nihil auarē
nihil libidinose, nihil incontinenter, nihil præter
decorum dignitatemq; Reipub. vslq; fiat.

Hac eadem animi tui excelsi vigilantia prouide-
bis, vt leges omnes intiolatae suam dignitatem ob-
tineant, non bonæ emendentur, & ex illarum præ-
scripto incorrupta Iudicia cōstituantur, tum ex his
æQUITATIS decreta prodeant. Qua in parte multos
prudentia, eruditione, integritate vitæ excellentes
viros adiutores habebis. Et nūc quoq; fortasse non-
nulli, qui importunis intercessionibus suis præcla-
ram voluntatē triam ab officio Regio, quo ex æquo
omnibus ius dicere teneris, nonnunq; auertere ni-
tebuntur. Veruntamen Rex inclyte, tu ne parce
malis, sed contra audentior ito. Atq; vtinam exē-
plo tuo Princeps optime, id quod palam iniquum
est, pariter omnes iniquum esse dicerent, & omne
flagitium iuxta leges, absq; vlla commiseratione &
respectu personarū (id quod etiam vox diuina præ-
cipit) non interpositis dilationibus puniendum esse
censerent, suusq; virtuti & innocentiae honos, &
sceleri poenæ proponeretur, haberemus Rempub.
B pace,

pace, virtutibus, & successu rerum florentem. Ma-
xime autem nostri illi contra officium, legesq; s̄apē
indigna committunt, qui sese generis nobilitate ia-
ctitant, forte libertate, quæ non raro in licentiam
vertitur abusi, obliti veram nobilitatem in virtute, et
factis recte sita, eiusq; officiū esse propriū, iniustā
vim depellere, viduam, pauperem, & aduenam ab
iniuria tueri, tum verò vir nobilis ut mentiri fallere,
calumniari, alienum appetere, iniquam litem alere
turpe & infame ducat. Veritatis autem in dictis &
factis custodem se esse rebus declareret. Hæc fuere,
nunc etiam esse debebunt nobilitatis nostræ insi-
gnia & ornamenta, propter quæ cæteræ multitu-
dini, honore & dignitate excellere nos oportuit.
Hinc lege antiqua sanctum est, testificanti viro no-
bili, plus fidei haberi quam plebeio, eò quod incor-
rupti veritatis assertores, viri tum nobiles fuerant,
& omnem falsitatem & calumniam abominarentur.
Erat tum constantia & sinceritas in precio. Viri au-
tē mendaces, bilingues, incertæq; fidei, ignomina
leuitatis notarentur, & indigni consortio honorū
haberentur. Quapropter rarissimæ tum erant istæ
nostræ recognitiones, inscriptiones, obligationes,
aliaeq; huic generis Actis publicis signatae. Etenim
vniusquisq; quod verbo, seu certa spōsione promis-
tebat, incorrupta fide, rebusq; ipsis complebat, de-
decus, & læsa fidei infamiam, magis tum metuētes,
quam

quam nūc triplicata vadimonia. Maxime autē pri-
moq̄ tempore, illam morum veterum sinceritatē,
& innocētiā luxus vitiare cepit, qui nō ita a mul-
tis annis sensim in Sarmatiā ex peregrinis prouin-
cijs irrepens, in tantam magnitudinem excreuit, ut
Persas ipsos hac exitiali perniciē superasse videamus
Nam cūm in preciosarū vestiū, aliarumq̄ id genus
deliciarum apparatus, magnos sumptus nostri hōies
facere cepissent, accidit vt cūm absunta requirere
certant, iusticiā multis modis violarint, miserā ple-
beculam grati seruitute oppresserint, tūmq̄ pro cō-
stantia, vanitas emersit. Vētum est ad eam luxus in-
saniam, vt veste ex vellere confectas, preciosissimis
pannis sericeis subducant. Quid verò illa vela seu
caudæ à tergo in terram demissæ, precioso apparatu
sericeo, & sāpē atro intertexto intus ornari (si dijs
placet) solitæ, cūm usum corpori nullū præbeant,
plebi saltem spectaculum exhibent, bonis viris sto-
machum mouēt, stultæ autē iuuentutis quiduis no-
ui absq̄ delectit, insana imitatione arripientis leuitas
tem produnt. Iam quis ingentē vim ferculorū ad
luxum gulæ inuentorum enumeret: quibus Ap-
picios, & Cleopatras superant, in his ebrietates, &
in omni parte vicitus intemperantia, cui accessit
ocium, ex his nata est luxuria. Hæc vitia
postquam principes in Republica viros, & Eque-
strem ordinem inuaserunt, pariter bonis moribus

B ij & inte

& integratī exitium attulerunt, adeò ut non im-
meritò cum Poëta Romano conqueri possimus :
Nunc patimur longæ pacis mala, sæuior armis lu-
xuria incubuit. Et Romanos quidem orbis ter-
rarum victores, in ocio & rerum omnium copia,
in luxum & vitia fuisse prolapsos, paucis fortasse
mirum videri poterat, Nobis autem quis non re-
præhensionis notam tribuat : quis non meritò suc-
censeat, gratissimis & potentissimis hostibus circu-
septis, & ferè ceruicibus nostris imminentibus, tan-
tam securitatē luxumq; in mētem venire potuisse :
quo quidem facultates priuatorum (quæ in melio-
res usus seruari debebāt) exhaustæ sunt, animi effo-
minati, vires corporis attenuatæ, vitaq; ipsa facta
breuior. Et quod caput est ira DEI multis modis
accensa, pœnæq; prouocatae sunt, quæ ne exitium
nobis afferant, iudicium Dei certè exhorrescendum
est. En sanè, quoties quæ supra dixi vitia, & cor-
ruptæ admodum aulæ mores, qui in totam Remp.
inundarunt, frequentibus sæpè Comitijs cernerem,
admirabar diuitias patientiæ, vt lōganimitatis Dei,
quod hoc Regnum vicinis hostibus diripiendum
non tradiderit, sicut alibi id fieri videmus, & veris-
simum esse historiæ testantur, quod Propheta ait :
Propter iniusticiam hominum transferri Regna de
gente in gentem. Et vetus quoq; Poëta inquit : Nā
cætra Regna, Luxuries vitij, odijsq; superbia ver-
tit. Sed

tit. Sed æterna Dei proutentia in salutem Christi
anitatis seruata est tibi Respub. hæc Rex nobilissi-
me, vt inde vitj cum luxu profligatis, integritate
Iudiciorum restituta, & ad veterem frugalitatem,
morumq; gratuitatem reuocatis animis, antiquam
Reipub. formam nobis restitutas. Est verò gratissi-
ma veteris illius temporis memoria, cum quisq; suo
loco & ordine, officium suum, sine quærela facie-
bat. Erat tūm in aula Regia summa continentia &
frugalitas, Senatus grauis, Iudicium incorruptum,
Nobiles viri paruo contenti, horum filij dura disci-
plina, ab adolescentia ad labores perferēdos, & vi-
gilias consuescebant, eques coniectus pelle vrsina,
vel lupina egregiè ornatus esse putabatur, serici &
purpuræ nullus tum vſus fuerat. Itaq; disciplina do-
mestica indurata iumentus militiae labores alaci &
infracto animo perferebant, frustum carnis fumo
duratae famē, aqua tūm sitim sedabat, penula seu pal-
litum equestre aduersus omnes iniurias cæli tueba-
tur, fessis gramen quietem præbuit. Hoc autē mo-
dō paruo assuetis, & ea severitate disciplinæ, & cō-
tinentia vtentibus, nullæ tum barbarorū copiæ ipsis
intinctæ fuerunt.

Deploranda est autem huius temporis omnium
nostrū & Reipub. conditio, qui luxu & ocio tor-
pentes ab hoste Septentrionis barbaro, campestris
bus prælijs semper à vobis fuso, nomini & honori

B ij vestro

vestro ignonimia notam inflictam turpiter vos patiamini, quam nisi prima oportunitate abstergi, non vos legitimos successores, sed degeneres, & indignos patrum vestrorum virtute, & genere filios, vicinæ quoq; nationes meritò appellabunt.

Te autem Rex generosissime summum moderatorum Reipub. adepti, omnia læta & felicia à DEO expectamus, spe optima, ex faustis omnibus de te concepta. Qui quidem antiquis Principib; nostris (quorum ob insignem virtutem, & præclara in Rēpub. merita gratissima in mentibus hominum extat memoria) tanquam à mortuis reductis Remp. hanc virtutibus & rerū gestarum gloria sis amplificaturus.

Restat quoq; ut in Scholas institutas & reformatas Rex Christianissime, in quibus bonarum literarum studia, & in primis cœlestis doctrinæ puritas floreat, studium & operam impendas. Nam hæc quoq; Reipub. pars, quæ summæ curæ esse debuit, ab omnibus ferè contempta deseritur, in primisq; ab illis qui maximas opes, ad eos usus à maioribus collatas obtinent, cum tamen paliam sit, ad Reipub. gubernacula, ex scholis literarijs idoneos homines in primis peti, quibus sublatis tenebris rerum, & barbariem sequi necesse est. Ablegant quidē viri nobiles, cines etiā filios suos in Italiam in Germaniam, & in Galliam quoq; eruditioris & Philosophiae causa, verum hoc modo ingens vis auri quotannis

qui tannis inde effertur, & quod est gratius frequenter fit, ut nonnulli peiores mores, quam quibus ante prædicti fuerant, secum isthinc in patriam adserant. Postremo autoritate tua Regia urbiū mores corrigendi, legibus sumptuarijs luxus inhibendus, & seueriore disciplina instituenda erit. Magna pars oiosorum hominum, nulli bonæ rei vacantiū in oppidis tolleratur, tūm verò ipsi mechanici artifices, magnam temporis partem lusibus, compotationibus, & alijs vitijs ex ocio prouenientibus absunt, abusi vbertate agrorum, annonā, & victu faciliter præsentium temporum. Inprimis autem anni istius, quo sub initium Imperij tui ingens rerū omnium copia sequuta est. Et cùm nonnulli vix vñū atq; alterū diem per hebdomadā serio in officinas & labores proprios conferant, vt operas suas magno precio vendant necesse est, profusiones, & tempus à se male collocatum, quoquomodo sibi compensari cupientes, Hæc ignaua colluuiies à Magistratu oppidano, vel Censoribus ad id instituendis certa animaduersione puniri, vel in carceres rapi, aut certè ex singulis oppidis, viciscq; ejici deberet. Quæ diligentia si passim vbiq; per omnes prouincias adliberetur, multa in Rempublicam commoda redundarent, maiores facultates prætatorum essent, minusq; vittiorum, tūm verò iustiore prelio omnia venirent.

Vini

Vini quoque (vt vocant) cremati usus multum obest,
quo plebeia colluuius ab orto Sole, sapè usque in me-
ridiem dedita , magnam præciosi temporis partem
turpiter absunit , inde fieri vt integri etiā dies male
collocentur. Eisset ex re fortasse Reipub. vt dierum
festorum quoque frequentia , ad pauciorem numerum
redigeretur , aut certe idoneis usibus restituatur , sus-
blato abusu , quo fit , vt quibusque penè ferijs maiore
numero tabernas potatoria quām templa Diuūm ,
profana multitudo vīsitet , & tum maxime flagitijs .
ocio inuitati , sese contaminent. Sed hæc ego illo-
rum , qui summam autoritatem in templo obtinent ,
iudicio constituenda relinquo.

Iudæi usuræ , & multarum malarum artium inuē-
tores , tum illi vagabundi homines , quos vulgo Ci-
ganos vocat , præter multiplices fraudes quæ ab his
sparguntur , consilia etiam Reipub. nostræ Macho-
metanis ab utrisque prodi non dubium est. Proinde
tolerandi non sunt , dandaque opera , vt his ex omni-
bus Regni prouincijs electis , tamque à certa pernicie
Christianí homines reletentur.

Instituendæ sunt quoque exercitationes militares ,
tam equestres quām pedestres , quas iuentus cupi-
dē arripiat , laude & præmijs , tum etiam exem plis
illustrium virorum inuitata. His profligabitur no-
xiæ voluptates , atque illi desidiosi , & libero homine
ad virtutem & gloriam cōsequendam tendent , in-
digni

digni lusus , quales sunt cartatum , aleæ , & id genus
alij , quibus nonnulli etiam illustris nobilitatis viri
dediti , bonam partem temporis male absunt , of-
ficia legitima intermittunt . Coeteri verò tenuio-
res , nonnunq; ita illis irretiti tenentur , vt non so-
lum labores vocationis suæ proprios deserant , sed
etiam tanquam inducta torpedine , rebus cum fru-
ctu & laude agendis raro sint idonei , quo fit quæ
admodum proprius ipsorum propheta dixit :

Vt qui delidiam luxumq; sequatur inertem ,
Turpis , inopsc; simul miserabile transigat ævitum .
Nullus autem vir bonus & prudens tantum tem-
pore abundat , quod non optimè collocandum esse
studeat . Necq; tantum sibi esse ocij quod leuis im-
pedimentis tribuendum putet . Quapropter non est
mirū victorijs , & belli gloria Turcas florere , apud
quos nullum ferè tempus ocio relinquitur . Et necq;
solum gregarius miles , sed summi etiam satrapæ
quoties à belli vel Reipub. studijs vacant , actioni ,
& operibus necessarijs intenti sunt , prout cuiuscq;
officij , aut ordinis , vel ætatis ratio postulat . Iuuen-
tus autem aut equestribus hastis concurrit , aut ar-
cus torquet , vel sclopetis scopum petit , equos do-
mant alij . Plures artibus mechanicis , usui humano
necessarijs dant operam : unde fit , vt exercitato &
frugi labore indurato , ob idq; invicto milite Tur-

C

carum

carum Imperator vtatur. Qualem enim militem
illum fore putamus, qui ocio, ventri, somnoq; dedi-
tus, nihil commendatione dignum agere consue-
uit? Non est certè dubium harum nationum ho-
mines sub temperato Septentrionis cælo degentes
Turcas fortitudine & animis esse meliores, quoties
enim pari numero & particularibus prælijs pugna-
re contigit, victos Turcas sæpè fuisse constat. Et
olim Iulius Cæsar Europeis copijs instructus derisit
Pompeium, quod is Asiatico milite prælio se victu-
rum confideret. Sed cum Turcæ hac tempestate &
vigilantia, disciplinæ militaris severitate, & iusticiæ
studio nos superent, fit ut bellis etiam præualeant,
luxum, ignauiam, & multiplicia delicta nostra iu-
stè Deo vlcisciente. Qua de causa grauibus institu-
tis emendatis moribus, constitutaq; domi optimis
legibus & incorruptis Iudicijs Repub, vnde æquia-
tatis decreta manantia, maturaæ exequitioni mana-
dentur, ita ut bonus quisq; à Magistratu suo lau-
dem, & defensionem consequatur, improbus autē
propositas poenas, & paratam ignominiam exhor-
rescat, futorum omnino speramus R E X inclyte,
non solum te huius populi, à Deo tibi commendati
iniurias à barbaris vindicaturum, verūm etiā Deo
regente, & fortunante conatus tuos, cum præclara
nominis tui gloria reliquæ oppressæ Europæ te re-
spicientis

spicientis, & inuocantis salutē allatūrum. Quod
Deus æternus Pater cælestis omnīpotens , cu-
ius vi & potentia fiunt omnia , suo
confirmet Numine.


Amen.

1 5 > > Mense Februario,


S. M. T. Regiae.

Fidelis subditus.

Franciscus Gossas-
tus de Nadarice.



P O S N A N I A E.
MELchior NEringk excudebat.



ANNA RICCI
and her son